1605/547.

CANCELLARIUS, Magiſtri & Scholares Univerſitatis OXON.

Omnibus, ad quos Hæ Literæ pervenerint, Salutem in Domino ſempiternam.

QUUM eum in finem Gradus Academici a Majoribus Noſtris inſtituti fuerint, ut Viri Eruditione præcellentes, & de Eccleſia Chriſtiana optime meriti a reliquis diſtinguerentur; CUMque Reverendus Clariſſimuſque Vir P. PETRUS FRANCISCUS COURAYERUS, *Abbatiæ* Sanctæ Genovefæ Pariſ. *Canonicus Regularis, Sacras Epiſcoporum Noſtrorum* Ordinationes, *quos pro veris indubitatiſque* Apoſtolorum Succeſſoribus *revereri ſemper conſuevimus, tam ſtrenue doctèque defenderit, ut è contra nil præter aniles fabulas reponi poſſit; CUM Noſtram de graviſſimis Controverſiis Sententiam ſic fere expoſuerit, ut Ejus Scripta legentes è Profeſſoribus Noſtris quempiam in manibus habere videamur; CUM in Eo denique ſummum Ingenii Acumen cum non vulgari Eruditione conjunctum, eximius Animi Candor, & non fictum univerſas* CHRISTI *Eccleſias ad Concordiam reducendi Studium, eluceant; SCIATIS, Nos Cancellarium, Magiſtros & Scholares antedictos, VIRUM tot tantiſque Meritis Illuſtrem ſummo, quo potuimus, Honore proſequi volentes, Eundem Reverendum Clariſſimumque* P. PETRUM FRANCISCUM COURAYERUM, *hoc viceſimo octavo die Menſis Auguſti, A. D.* MDCCXXVII, *in ſolenni ac frequentiſſimo Doctorum & Magiſtrorum Senatu unanimi ſuffragio* DOCTOREM in S. S. Theologia *conſtituiſſe & renunciaſſe; Eumque Omnibus & Singulis Doctoralis in S. S. Theologia Gradus Privilegiis & Honoribus cumulaſſe. IN Cujus Rei Teſtimonium ac Fidem, Publicum* Univerſitatis *Noſtræ* Oxon. *Sigillum His Literis apponi juſſimus.*

DAT' in Domo Convocationis *Noſtræ, die annoque ſupradict.*

DIGNISSIMO

CANCELLARIO,

DOCTISSIMIS

MAGISTRIS & SCHOLARIBUS,

Ac Toti Celeberrimæ Universitati

OXONIENSI

PETRUS FRANCISCUS LE COURAYER

S. Genovefæ Parifienfis Canonicus Regularis

Ac Bibliothecarius,

Gratias humillimas & Salutem perpetuam.

QUOD hucuſque ſiluerim, Viri Doctiſſimi, nondumque vobis gratias, ut par erat, retulerim, id præſenti ſorti meæ, quæſo, condonate. Dum enim aut præcavendis occultis inſidiis aut manifeſtæ vi declinandæ totus incumbo, nec liberum fuit votis meis hac in parte obſequi, nec forte etiam decuit. Ea enim eſt temporum conditio, & honoris, quo me decoraſtis, natura, ut, loqui ſatius ſit an ſilere, videatur incertum.

Niſi gratias pro merito rependerim, velut ingratum me culpabunt omnes. Tanto enim, ut ait Plinius, turpius eſt gratiam non referre, quanto honeſtior cauſa referendæ. Sin autem præſtem me beneficii memorem, vix dubito quin mihi crimini vertantur tam juſta grati animi teſtimonia, novamque calumniandi anſam præbeam adverſariis. Ita eſt, Viri Clariſſimi, nefas prope judicatur communia humanitatis officia in fidei controverſiis diſſidentibus exhibere; adeoque in Societatibus Chriſtianis partium Studium prævaluit, ut vix liceat ſine ſuſpicione laxioris & culpabilis tolerantiæ laudare quidquid in parte oppoſita laudabile eſt, vel pacificum ſe præbere varie ſentientibus.

Hujus tamen adoptionis, qua me quanquam in parte aliena viventem & ſcribentem adjunxiſtis tot hominibus tota Europa inſignibus, qui ex veſtra Academia prodierunt,

BRITISH MUSEUM 15 70 AUG

is

is erit, ut Spero, potiſſimum fructus, ut veſtro exemplo boni omnes excitati æquos ſe vel ipſis præbeant adverſariis, certatimque collaborent veritati detegendæ ſine pacis præjudicio.

Nullis verbis ſatis exprimere valeo, Viri Clariſſimi, quam grato animi ſenſu exceperim tam inſigne veſtræ in me benevolentiæ argumentum, eique ſubjunctum Diploma, quod, dum fidem meam in exponenda veſtra doctrina ab omni adulationis vel alterationis ſuſpicione liberat, malignitatem prodit aut inſcitiam Cenſorum meorum; quibus non ſatis fuit & me & opus meum quavis arte proſcindere, niſi ſimul tam falſo quam temere pronunciarent a vobis ipſis reclamari contra doctrinam, quam pro indubitata & genuina Eccleſiæ veſtræ fide dederam.

Eam autem improbitatem, dicamne, an imperitiam tam honorifico Diplomate veſtro penitus prodidiſtis. Si enim aut minus in exponendis ſenſibus veſtris ſincerus, aut in alienis affingendis nimis audax fuiſſem, tantum abeſt, ut veſtro ſuffragio ſcripta mea hac in parte muniſſetis, ut potius ſolemni improbatione fidem mihi derogando, mendacii aut ad minus temeritatis palam convictus fuiſſem. Verum eo metu me liberabat religioſa illa anxietas, qua effectum ne aliquid de veſtra fide enunciarem, niſi quod aut in monumentis publicis eſſet conſignatum aut laudatum in confeſſionibus veſtris, aut a veſtris doctioribus Epiſcopis & Theologis vel ſcriptum vel declaratum. Hoc plane vidiſtis & probaſtis, Doctores celeberrimi, dum id in me potiſſimum laudatis, *quod veſtram de graviſſimis controverſiis ſententiam ſic fere expoſuerim, ut mea ſcripta legentes è Profeſſoribus veſtris quempiam in manibus habere videantur.* Neque revera mihi conſcius ſum inordinato pacis ſtudio veritatem adulteraſſe, & alterutrius partis doctrinam unquam aut emolliiſſe aut corrupiſſe odii vel affectus præjudicio. Ea quippe Religione tractare debemus quæ ad fidem pertinent, ut nec Charitas errores diſſimulet, nec fidei zelus nova dogmata aut comminiſcatur aut præſcribat.

Utinam, Viri ſapientiſſimi, in his rebus, in quibus diſſidemus, adhuc hanc nobis regulam mutuo ſtatueremus. Non diu perſeveraret luctuoſum illud Schiſma, quod Eccleſiam varias in partes diſtraxit; nec dubito, quin, ſi ex utraque parte ſinguli in Spiritu pacis & ſtudio Charitatis inquirendæ veritati incumberemus, ad pauciſſima Capita brevi contraheretur tota illa Controverſiarum congeries, quæ Religionem corrumpit & dedecorat.

His

His immiſuendis forſan non inutilis erit ea, quam ſuſcepi veſtrarum Ordinationum Defenſio, excitabitque alios nova capita pari ſucceſſu & majori dexteritate tractare. Opus ſane Chriſtianis Theologis quoquo modo tentandum, eoque Academia veſtra dignius, quod ſemper viris doctis & eruditis referta tanto plus poteſt in promovenda pace, quanto & in verſanda antiquitate exercitatior, & in profitenda veritate liberior.

Nihil aliud ad veſtræ famæ cumulum magis conferre poteſt; atque, cum ad gloriæ communis participationem meipſum adjunxiſtis, ſinite me, Magiſtri Doctiſſimi, tantiſper hortari vos ad tanti operis explorandum ſucceſſum. Erunt enim præclari Conatus, etiamſi non ſuccedant. Favebo certe cœptis pro viribus, ac ultro veniam in partem laboris & periculi, ſi quæ Spes affulgeat partium conciliandarum aut tentandæ pacis.

Id ſemper potiſſimum erit in votis, nec ulla alia re melius Academiæ veſtræ ſignificare poſſum, quantum illi me debere profitear pro collato beneficio, quantique faciam Doctos illos, quibus immeritum me ſocium adjunxiſtis. Etſi enim paribus Officiis difficile ſit amori veſtro reſpondere, perpetuo tamen ſtudio & ſingulari obſervantiæ genere gratum me præbere nunquam deſinam. Valete, Venerabiles Viri, meque omnium veſtrum exiſtimate

Humillimum ac obſequentiſſimum Servum

Pet. Franc. Le Courayer.

Dabam Hannemonte
prope S. Germanum, in Laya,
Kalendis Decembris
MDCCXXVII.